

V C
725




XIII



XIII, 4. QN. XIII, 4.

I, 151.

598



ELECTORVM

IMPERII, ET DVCVM
SAXONIAE, LANDGRAVIO-
*rum Thuringia & Marchionum
Misnia, &c.*

E familia generosissima VVitikindæa,
Breuis & succincta Enarratio ;

*Complectens eorum seriem continuam , & rerum
memorabilium venustam expositionem, edita*

Studio & opera

LAVRENTII PECKENSTENII.

Anno à nato Christo.

M. D. XCV.



D R E S D Æ.


Typis Gimelis Bergen.



*Magnificis, eruditione, prudentia singulari nec non insigni
virtute amplissimis Domnis: tum Consulibus Reipub:*

PIRNENSIS,

*tum reliquis Senatorij ordinis viris: Fautoribus
studiorum & Meccenatibus debita ob-
servantia colendis.*



*Marte nitet gladius, sed Ruta in pace virescit,
Vtraq; laus stirpis propria Saxonicae est.*



S. D.



Illustrissimorum
DVCV M Electorumq;
Saxonie patrum patrie,
Amplissimi, prudentiss: &
Consultissimi viri, Domi-
ni & Mecænates summa observantia mihi
colendi, vitam, fortitudinem, iusticiam, gra-
vitatem eaq; res preclare gestas cognoscere,
non tam Magistratui & in regimine consti-
tutis, quam subditis & civibus eorum conuenit,
pulchrum & utile est. Quin & non inanem
locare operam, sed apprimè necessariam lite-
ratos, qui posteris etiam ipsorum consultum cu-
pientes, maiorum & Principum laudabi-
lem virtutem & gloriam, hereditariam quasi
facere atq; tueri emoliuntur, siquidem aliorum
virtutes, & benefacta emulari & imitari con-
uenit, aut si fieri queat superare magnificum
est.

A 2

Cum

Cum igitur otij aliquantulum nactus es-
sem, cœpi nostrorum Electorum & Ducum
Saxonie, facta laudabilia colligere & consig-
nare, unoq; quasi fasciculo comprehendere,
idq; cum eorum honoris & venerationis atq;
memoriae causa, tum etiam inprimis studiosis
historiarum gratificandi ergo. Turpe enim
iudicabam exteras nationes virtutum suorum
maiorum præcones habere vigilantes & studi-
osos, atq; plerosq; ex nostris, ut plurimum ex-
terna inquirere, seu res quasi alienas & pere-
grinas admirari, bona autem propria ac pa-
triae, positamq; ante oculos nostrorum virtu-
tem non considerare, non paucos etiam a lecti-
one prolixiorum Chronicorum abhorrere, vel
occupationibus alijs detentos ijs non vacare
posse.

Horum igitur utrisq; qualicumq; opera
mea gratificaturus solummodo in statum sum-
me Germanorum Reipubl: præsentem intui-
ens, Illustrissimorum Principum & Ducum
Saxonie Wittindeæ familiae repetens origi-
nem, & vitam, appositum hunc Chronologi-
cum

100
cum indicem collegi & consignavi, in eoq;
plerumq; eorum præclarè facta, quibus sibi no-
men immortale pepererunt, aliquot etiam eo-
rundem in subditos beneficia, quibus de Repub:
benè meriti sunt, brevissimè saltem demonstra-
vi & recensui, nec non clades aliquot & dan-
na tribus addidi verbis, idq; in eum etiam fi-
nem, ut admoniti exemplis posterì in eminen-
tia constituti, se homines esse meminerint, &
sciant felicitatem gubernationis solius esse Dei
beneficium.

Cum enim familia Vvitikindæ Imperij
Germanici statum pontificum cupiditate & in-
iurijs laceratum ac pœna eversum sua restitui-
erit virtute & sapientia: Atq; siue spe-
ctetur autoritas seu publici consilij potestas se-
cundum nomen Regium, hodie nullum in ter-
ris, amplius sit, quod cum magnitudine ac splen-
dore Electoris, ut Fabricij verbis utar, com-
parandum & eorum etiamnum decem in præ-

dicta familia Marchionum Misnia recensentur, non inanem locare operam duxi, etiam eorum facta insignia & laude dignissima breviter commemorare.

Hoc igitur qualecunque sit quod in hoc exiguo praestiti opusculo V. Ampli: & dignit: gratitudinis ergo nuncupatum volui.

Beneficentia namque & humanitas, qua me vestri Gymnasi, quondam alumnus, estis complexi, facit ut nominis vestri nec oblivisci possim nec debeam.

Scio quidem Amplissimi Domini vobis eruditiora politioraque deberi, sed sint haec gratitudinis meae primitiae.

Accipiatis igitur hanc animi grati notam, & beneficii in me vestri ^{μνημόσυνον} equo & benevolo olim perspecto mihi animo, authoremque mutuo amore complectatis, oro. Quod si assequar, est quod gaudeam, & quod ad maiora tentanda me exaceret, habuero.


Deus

Deus aternus Ampliſſ: dign: V. placide
regat, & in optata felicitate conſeruet perpe-
tuo. Dresda Hermundorum: Anno Micha-
elis noſtri Magni propopulo ſuo ſtantis & pug-
nantis ex virgine nati, 1595.

V. Amplitud.

Obſeruandiſſimus

Laurentius Peckenſtenius.



DE SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPLE: D. VVITIKINDO
Rege ultimo, & Duce primo Saxonum: Epigramma
Ipse loquitur.

B Is septem lustra, ac gemini anni & secula septem
Natales fuerant, Christe, secuta tuos:
Saxonas invasit cum Magnus Carolus armis,
Obuia cui lectus Rex ego signa tuli.
Lectus eram è numero, qui pacis tempore genti,
Bis seni, leges & sua iura dabant.
Mars satis æquus erat nostris, ac sæpe Rolandus,
Dux Caroli, vertit me reprimente pedem.
Traxerat hæc rabies in sex se lustra, saluti
Cum rerum æterni consuluere Dñj.
Reliqui cum gente mea sacra falsa, caputq;
Tingendum sancto protinus amne dedi.
Tum mihi, qui fuerat susceptor Carolus auspex
Saxonici tribuit nomina magna Ducis.
Et quia post tenebras noua lux erat orta salutis
Candidulum è nigro stemmate pinxit equum.
Angariæ magnum nobis fundamenta templum
Debet, habet cineres vrbs Padeborna meos.

Balth: Mencius M.

142

142

602

ELECTORVM ET DVCVM SAXONIAE, LAND- grauiorum Thuringiae & Marchionum Misniae, &c.

E familia VVitikindæa enarratio.

I. **FRIDERICVS I.** Friderici strenui filius
è Catharina Comitissa Hennebergica natus, Friderici Gra-
uis designati Romanorum Regis nepos, Bellicosus cognomi-
natus: bellicis enim studijs ardens adolescentiam omnem in
castris agit, & animo suscipiendi res magnas nulli maiorum
inferior. De Republica optimè ultra annos quinq; & viginti
resistendo Boëmis meretur, eosq; Sigismundo Imp: rebelles
1421. sæpius & tandem magna strage edita ad Brixiam superat,
& arcem Carolsteinam obsidione periculosa liberat. Ideoq; ob
virtutem ac fidem, operamq; egregiè nauatam Cæsar illum
remotis tribus competitoribus Erico Duce Leoburgio, Lu-
doico Electore Palatino & Friderico Brandenburgico, Ele-
ctoratus, Archimarschalatusq; dignitate, post obitum præma-
turum Alberti III. Anbaldini, cui hæres nullus erat, cum
1426. summa virtutum ipsius testificatione, quæ in diplomate Cæ-
sariano expressæ sunt auxit & ornauit, titulo Presburgi
in Pannonia, insignibus Budæ honorauit, quo absente mag-
na Misnensium, Thuringorumq; strages ad Austiam Boëmiæ
editur, occisis ex vtrâq; parte ultra 7000 hominum: In quo
conflictu Ernestus Comes Gleichensis, Fridericus Tonensis,
Protz Querfurdensis, Fridericus Beichlingensis Comites, &
magna pars baronum & nobilium perierunt.

B

Hisce

Hiscerebus non satis sopitis in Thuringia Hoenstei-
nium, Heldrungensem, Schwartzburgium Comites insolentes
licentia compefcit, & Reinstenij comitem capit, nec non
Bernbardum Anbaldinum pecunia mulctat. Nec minus de
Republ: literaria & studijs præclarè meretur: Academia
Pragenfe Lipsiam suscepta, quæ inchoatur Anno supra Mil. 1409.
lesimum quadringentesimum nono pridie Idus Nouemb: à
Iohanne Munsterbergio eius Rectore primo.

Obijt VVeissenfelsij Nonis Ianuarij, Aldenburgi 1429.
terræ mandatur. Vxor eius Catharina Henrici Ducis
Brunswicensis filia, cum qua Fridericum II. successorem:
Sigismundum Episcopum VVurtzeburgium & VWilhelmum III.
Landgrauium: Annam Hassiæ Landgrauio,
& Catharinam Brandeburgo nuptam genuit, obijt Grim-
mæ & conditur Misnæ in sacello quod filius Elector sibi
posterisq; fieri fecerat, cum tali Epitaphio.

Hic Catharina iacet, Brunsviga stirpe creata,
Saxonici coniunx quæ generosa Ducis.
Consilio excellens, animi matrona virilis
Zeschorum fortes mittit in arma viros.
Pro patriaq; gerit curas absente marito
Auspicio sed res illa peracta malo,
Hac capit optatam nunc sub tellure quietem,
Inter honoratas maxima fama Duces.

FRI.

II. FRIDERICVS II. Septemvir antecessoris filius

1412. natus Misnae, placidus cognominatus: singulari
 rem enim habuit prudentiam cum animi mansuetudine &
 fortitudine coniunctam, varijs quidem casibus iactatus,
 multiplicibusq; quasi procellis impeditus nunquam tamen
 aduersae fortunae succubuit. Vno anno tribus cladibus
 1429. maximis afficitur: Ab Hussitis Boemis à Nissa vrbe Sie
 lesiae repellitur: prope Taucham fugatur in Osterlandia.
 Ad Grimmam ceditur equitatus eius à Procopio Boemo &
 1437. Petro Malticio ducibus. Ad quam ignominiam delendam in
 Boemos arma parat, eosq; vno praelio ad Satium, altero ad Vltio de
 Sebnitium fundit, ducemq; eorum V Vilhelmum Sternber hostibus.
 gium cum multis Boemis captum in carcerem Rochlicij
 tradit, à qua tamen custodia numerata pecunia ipse dimittitur.
 vulgus vero in carceribus, detentum Misnae & alijs
 oppidis per quae distributum erat, perijt. In eadem Boemia
 Alberto Imperatori operam egregie nauans, copias dissipat
 Polonicas, easq; ad fugam adigit.

1445. Cum Guilhelmo fratre in magna contentione propter
 diuisionem regionum fuit, quae discordia motuum pluris Omne
 morum causam praebuit. Cum enim Guilhelmo diuidendi ciuile bel-
 datum esset negocium, Friderico eligendi, & Fridericus lum mise-
 eligeret Thuringiam, frater illi cedere noluit, & quanquam rum,
 Hali Saxonica res componitur, animi tamen principum
 valde exbulcerati manserunt:

B 2

Paulo



Paulò enim post Fridericus Elector Cambergum & Roslam Appollony Vicethumi arces obsidet. Comitibus Schwarceburgici Henrici oppida agrosq; depopulatur & Guilhelmum fratrem, nec non Fridericum Brandeburgicum partis aduersariae studiosos in se concitat, & ab yisdem in praefectura Weiffensehense incenduntur villae, spoliantur agricolae & abiguntur armenta. Dum haec in Thuringia fierent, noua à Bocmis est in Misniam facta irruptio, & inter Ischopam & Muldam sauebat igne & ferro 1449. Brandeburgius.

Fratres
amici fiunt.

In hoc sane bellico tumultu cum animi odijs intestinis, agri & vrbes flagrarent ignibus, & omnia ad euersionem constitutae erant. Guillelmus frater voce quadam Friderici plena fraternae beneuolentiae, quam responsi loco aulico cuidam nobili, qui promisit principem ense necaturum hisce verbis dedit:

Fratris mihi parce saluti,

Exposita sit telis caetera turba tuis: ad se delata, fratrem ipsum de pace inscijs consiliarijs conuenit, & fundamenta pacis locantur & confirmantur. Deinde aliquot seditiosi Comites & Barones in Thuringia puniuntur & Vicethumus Coburga ditone bonisq; omnibus exiit & in exilium ire iussus est.

Exilium
multorum
nobilium

His

1445.

His nondum sopitis ex arce editissima Aldenburgia
 a Conrado Kauffungo, V Vilhelmo Mosseno, & V Vilhel-
 mo Schonfelsio, plagiarijs, quod negata ipsis essent stipen-
 dia militaria, Electoris filij duo Ernestus & Albertus, iu-
 niores principes, quorum hic 12. ille 14. annorum erat, sca-
 lis admotis absente ipso rapiuntur. Conradus qui Al-
 bertum abduxerat in nemorosis locis Boemiam versus de-
 prehensus, gladio punitur Fribergæ: Reliqui qui Erne-
 stum sponte reduxerunt impunitatem ambo consequuntur.
 Horū iuniorū principes vestes desimplici et plano adhuc in
 templo Ebersdorffiano cernuntur, cum tali inscriptione:

Plagiorum
facinus.

Conradus Kauffung animo truculentus & asper,
 Misnensis petijt ditia rura soli.

Ingressus celsam collectis fraudibus arcem,
 Quæ iam Altenburgi nomina clara tenet,
 Illustris rapuit Friderici pignora chara,
 Quorum vestes hic aspice quisquis ades.
 Has pater ut pueri fuerant ex hoste recepti,
 Obtulit in templo, virgo Maria, tibi.

Memoria etiam dignum est, quòd à quibusdam scri-
 bitur, quod cum Friderico Antistiti Magdeburgensi é comi-
 tibus Beichlingis nato, bellum, propter hostiles irruptiones,
 facturus esset, exploratorem miserit, qui de apparatu belli
 & consilijs eius cognosceret: Is renunciabat, Antistitem
 nullum conscribi militem, neq; quicquam bello opportunum
 parari, insuper dixisse, causam se Deo commissurum, qui pro
 se arma sit sumpturus. Quod ut Elector audiuit: Alius in-
 quit, insaniat, ut bellum inferat ei, qui confidit se Deum
 defensorem habiturum,

Pietatis
Illustre
exemplū.

B 3

Ele

149.



Electorum gessit magna cum laude & iustitia, annos
sex & triginta vitam claudit Lipsiæ 7. Septemb. Anno 1464
Deportatur Misnam in sacellum quod occidentem versus
templo cathedrali ante viginti annos ipse adiunxerat. De
cuius morte sic scribit Westislariensis: In Christum cre-
dit, felix in pace recedit, Illius atq; animæ dux Christus
summus & in spe. Vxor eius Margaritba Austriaca Eri-
derici III. Imp. Rom. soror fuit, é qua genuit Ernestum &
Albertum superstites filios, nec non Annam, Alberto Bran-
deburgico Germ: Achilli, Emiliam Georgio alij Ludouico
Bauaro nuptam, Ipsa post mortem mariti vixit vidua 20.
annos & Aldenburgi terræ mandatur.

III.

Princeps
felix.

ERNESTVS Septemvir Friderici II. pla-
cidi filius Misnæ natus. Floruit hic Princeps non bellica ^{1441.}
tantum, verum etiam fortunis, liberis, iusticiæ & integri-
tatis laude, ideoq; à quibusdam Felix cognominatus argu-
mento manifesto: fuit enim pater Friderici III. & Iohans
nis Saxonum & Alberti Moguntini Electorum, quod hu-
manæ fœlicitatis exemplum est. Bella non sine cum laude
aliqua gessit. Plavum Voilandie primariam urbem, Ols- ^{1406.}
nicium, Adorsum occupat. Doxam & Rifebergam Boe-
miæ expugnat. Quedlinburgum, Halim Saxoniam, Hal-
berstadium, Erfurdiam licentia filijs rebellantes armis
& seueris legibus coercet. Romam more maiorum pro- ^{1476.}
fectus Rosam auream cum osculo à Sixto 4. P.P.: obti-
net, eamq; templo Misnensi donat, & perpetuos dierum no-
tiumq; cantus absq; vlla intermissione distributis operibus
in eo instituit. In

64

In summa etiam autoritate apud Fridericum III. Imp. avunculum fuit, & Maximilianus amittinus eum observavit. Ipsoq; & fratri Alberto permissu Imp. a Ioanne Duce Silesio ducatus Saganensis florenis vngaricis 55000. venditur & mansit in potestate Ducum Saxonie ille ducatus ad annos septuaginta septem. Regum Vngarie, Polonieq;

1472.

1474.

Mathie Coruini & Casimiri exercitibus Vratislaviensem agrum, nec non Germaniam devastantibus ipse cum Iohanne Brandeburgico, tam orationis bonitate, quam belli denunciatione iuit obviam: Adduxerunt enim ambo equitum sex millia, & Reges ad ineundam pacem magno animo hortati sunt, profitentes, sese hostes esse futuros ei, qui accipere pacem recusaret, & prudentia magis quam armis eos arcuit. Arces aliquot splendidas nimirum Coldicensem, Schweidnicensem, & Beltizensem edificavit, vel dirutis antiquis novas fecit.

Hostes propulsi sapientia.

41.

Obijt in Arce Cboldicia 7. Calend. Septemb.

1486.

Misnie tumulatus regali apparatu. Feretrum enim antecesserant equi pullati quinq; sequebantur octo, qui Templo relictis sunt, y gestabant provinciarum subiectarum insignia. Vxor eius Elisabetha Alberti III. Ducis Bauarie filia obijt biennium ante maritum Lipsie, & in Paulino ibidem sepeliri voluit. Reliquit 4. filios Albertum Moguntinum & Ernestum Magdeburgum Antistites, Fridericum III. & Iohannem ambo Electores, & 2. filias Christinam Danie regi Iohanni, & Margaritham Duci Brunsvicensi Henrico nuptam.

06.

76.

FRI



IIII.

FRIDERICVS III. Septemvir Ernesti filius

Princeps
Sapiens,
& literatus.

Torgæ natus, cognomento Sapiens, non tam propter ingenij & consiliorum dotes præclaras, atq; expectatam promptamq; loquendi & differendi facultatem, quæ exteris etiam admirationi fuit, quam quod literis ingenuis edoctus, non solum cultores earum amavit, verumetiam ijs familiariter vsus & Musicis apprimè delectatus est. More maiorum religioso sanè Palæstinam adiit, relicto Testamento, ut studiosis decernerentur stipendia: Academiæq; Vitebergæ fuit fundator & auctor liberalis: Viros doctos ad illustrandam eam & in primis Martinum Lutherum: et Philippum Melanthonem Tubinga euocat. Historias non solum ab alijs scribendas curauit, sed ipse etiam successiuè aliquid operæ in tali scriptione, posuit. Bella gessit nulla: paci enim studuit & studia amavit. Philippum Palatinum Electorem Cæsari Maximiliano reconciliat: Canonici Vormacienses qui annos propemodum decem exulauerant, ipsius consilio restituntur: Plebem Erfurdianam contra Magistratum tumultuantem placat.

Autor
concordiæ.

Honorum
cōtempus.

Viuentē Maximiliano gubernator & locum tenens Imperij fuit, quod certo etiam numismate declaratur. Post obitum vero ipsius delatam ad se omnium Septemvirum summa voluntate & gratulatione dignitatem Imperatoriam non solum is animo magno recusat accipere, sed etiam Carolum V. omnibus competitoribus prætulit, & ad eam sua sententia profuit potissimum.

Ob

605
453. Ob quod præclarum iudicium obtulerunt ei legati Caroli 30000. florinorum, quos cum animo celso repudiaret, postulatum est, ut decem millia pateretur famulis sui dari, Ad quod ille: Accipiant sanè mei, inquit, si velint, sed hoc interim sciant, quicumq; aureum vnum acceperit, locum in Aula mea non habebit.

493. Huius Septemviri verè sapientis tempore non quidem repente sed sensim doctrinæ facta mutatio est: Placuit enim DEO ad ducatum & familiam Saxoniam hunc honorem transferre, ut ex ea in omnes partes Germaniæ & vicina regna lux doctrinæ Evangelicæ diffunderetur, quæ dignitas omnem splendorem, & maiestatem in mundo longe superat. Prodiit autem reformatio omnis ex VVi-

tebergensi Academia in ducatu Saxonico, quam D. Fleccus iam ante, candidum sapientiæ montem appellarat. Ad hanc ansam præbebat Lutherus Tecelius Monachus Domini canus, qui passim in his terris indulgentias venales circumferebat, quibus gratiam delictorum omnium quæ commissa & committenda esset pretio quantocunq; concessit. His ardenti zelo incensus Lutherus resistendum esse huic impudenti impostoris omni contentione arbitrabatur. Quam obrem disputationis capita 95. VVitebergæ ad fores Templi omnium sanctorum affixit, quibus de indulgentiis disse- rebat. Tecelius vero clamoribus & minis Lutherum ab in- cepto pio detertere instituit, & propositiones flammis expo- sivit, ipsumq; autorem hæreticum, igniq; perdendum esse affirmavit.

Locus ex quo Re- formatio Eccle- siæ prodise

C Luthe

Lutherus contra datis ad Leonem X. Pontificem li- 1518
teris supplicibus, se suamq; causam eius censuræ subiecit.

Pontifex regno suo metuens Lutherum Romam venire
iussit, pœnam, nisi obtemperaret, denunciatis, & quia Caietan-
tanus legatus eius id temporis in Germania esset huic man-
data dedit, ut Augustæ cum Luthero ageret, eamq; ab erro-
re reuocaret. De consilio igitur Electoris Lutherus Au-
gustam venit, commendatus ibi quibusdam amicis à Septimo
Viro, sed expugnari sese nullis minis, nullisq; promissis à
Cardinale passus est. Itaq; Caietanus monuit Electorem, ut
vel Romam mitteret Lutherum, vel ditione sua expelleret.
Quem tamen contra Pontificios sua autoritate præclarè de-
fendit, nec passus est Romam attrahi, nisi errores eius ex
Dei verbo essent demonstrati.

Electo-
Lutherum
defendit.

Milticius
Rosam
affert.

Non multo post à Pontifice ad Electorem missus est
Carolus Milticius Germanus Leonis X. cubicularius, ut 1519
Rosam Friderico Electori afferret, quam ille quidem acce-
pit, sed nihili fecit. Insuper Papa edita Bulla Lutherum
excommunicauit, & ad Electorem literas dedit, quibus se- 1520
vere mandat, ut Lutherum, nisi intra 60 dies reuocet, vel
ducatu eijceret, vel ipse supplicio afficiat, libras vero eius
cremet, vel ipsum Romam mittat. Cui ingenue respondet
Electo-: Se missurum quidem illum esse, si conductu saluo
idonee ei caueatur, vel crematurum esse eius scripta, si er-
ror ullus in ijs demonstratur. Cuius sapientia Principis
nullis laudibus satis prædicari potest.

Sapientia
Principis
Friderici.

Itaq;

518

Itaq; cum ad Comitiam Imperij Elector proficisceretur & Colonie valetudinis causa commoraretur, Louania accersivit Erasmus Roterodamum, a quo diligenter sciscitatus est, quid de Lutheri doctrina sentiret. Erasmus ingenue fassus est, Veram esse & rectam Lutheri doctrinam sed plusculum se desiderare moderationis. Iterum interrogauit Princeps: Cur adeo inuisus esset Clero: Respondit Erasmus quasi per ridiculum, Duo peccata magna commisit: attigit coronam Papae & Monachorum ventres.

Erasmi iudicium de Lutheri doctrina.

19

Etiam in Comitijs iisdem Luthero, Princeps Gregorium Pontanum Cancellarium adiunxit, qui Lutherum probe instrueret, ne quid vel ipse offenderet, vel ab aduersarijs circumveniretur. Et quia Caesar, post reditum Lutherum proscripserat, & a Pontifice iterum excommunicatus fuerat, facile perspexit sapiens Princeps in quanto periculo ille futurus esset. Itaq; nobilibus quibusdam fide dignis de abducendo eo in arcem Warteburgam prope Isenacum negotium dedit, vt ibi delitesceret, donec Caesar ex Germania abiisset.

Gregorium Pontanum adiutor Lutheri.

Pathmus Lutheri.

20

Laudandus Princeps, qui Lutheri doctrinam neq; defendit, neq; etiam aboleri passus est, nisi errorum conuinceretur. Friderico III. Maximiliano I. Carolo V. Imperatoribus ipse Elector trigesies Comitijs & conuentibus Principum interfuit. Electoratum administrauit iusticia & pietate annos octo & triginta. Obijt placide Lochauie nunc Annaburgae morbo nephritide, Tumulatur Vitebergae in templo arcis quod ipse magnifice extruxerat. Coniugem non habuit.

Obitus Friderici.

1525

C 2

Huius



Huius Principis optimi Elogium in per vetusta mem-
brana literis aureis eleganter conscriptum vidi in Bibliotheca
clarissimi viri Doctoris Bartholomæi Schonbornij, Medici
& Professoris VViteberg: Academiæ, &c. sub effigiem
Electoris:

Encomium Hic nobile Principum decus, opulentissima liberalita-
perueteſte. tis officina, obseruandiſſimus literarum Mæcenas, studiosiſ-
ſimus ceremoniarũ cultor, tam latus eſt Illuſtriſſ: principis
campus, vt vel centum linguæ, ferrea vox, exundans deniq;
Ciceroniæ eloquentiæ Nilus, in ipſo proſus deficerent,
quare admirando potius, quam narrando huic rei ſatisfa-
ctum iri duco.

V. **IOHANNES** Septemvir Friderici frater Er-
neſti Electoris filius natus, 1469.

Imperatori Friderico III. a vunculo adoleſcens in itine-
re Italico ſocius fuit: nec non Maximiliano I. amitino pri-
mum in Pannonia, & obſidione Belgradi, in qua eti-
am corona murali, primus enim muros expugnatos ascen-
dit, ornatus fuit. Deinde in Italia militauit, & documen-
tum virtutis dedit ſingulare. Valuit aliàs prudentia, auto-
ritate, nec non pacis, omniſq; honeſtatis & ſobrietatis & in-
primis veræ Religionis ſtudioſiſſimus fuit. Quamobrem
etiam propter constantiam, & amorem deſenſæ religionis
cognomen Constantis ei tributum eſt.

Primo,

008

1525. Primo eius gubernationis anno agrestium conspiratio Agrestium tumultus. & tumultus è Diœcesi Fuldana in Thuringiam et Hassiam um tumultu laté diffundebatur, tanto impetu & concursu, vt nisi princeps cum socijs, Georgio Saxone & Landgrauio arma contra eos premature sumpsisset, maximum fuisset ortum incendium, quos etiam in prælio ad Franckebusium dissipauit, vicit, & de autoribus pœnas sumit, subditisq; arma adimit.

1527. Hic Princeps laudatissimus primam Ecclesiarum in Saxonia visitationem instituit, huiusq; temporibus abolitis ritibus Pontificijs Euangelij doctrinam sanam Saxonicae vrbes amplexæ sunt, nec non protestantes dici cœperunt

1528. Euangelici, propter protestationem quam in negotio Religionis ipse Elector & aliquot principes imperij Spiræ in

1529. conuentu exhibuerunt.

169.

1530. Quinimo in annum Trigesimum Epitasis reformatæ Reformationis incidit, quando in luce clarissima frequente Sessione religionis natu Imperij spectantibus & audientibus cunctis penè nationibus ab Electore ipso, Georgio Marchione Brandeburgense, Ioanne Friderico Saxonie Duce, Ernesto Brunsvicensi, Philippo Landgrauio Hassiæ, Francisco Lunenburgense, Volffgango Anbaldino atq; ciuitatibus Norimbergæ & Reutlinga Augustæ religionis veræ Confessio latinè & Germanice die 25. Iulij Carolo V. Imp. exhibita & prælecta est publice in Palatio Cæsaris voce clara & plena per Georgium Pontanum Saxonie Cancellarium, vt exaudiri à

cunctis posset, quam Cæsar in Italicam & Gallicam linguam
per Alphonsum Valdesium Hispanum, & Alexandrum
Schuueis, vt legi à pluribus nationibus posset, vertendam
curauit. Verè igitur hæc vltima tuba Euangely fuit, cuius
vocibus personare DEUS orbem Christianum ante diem
extremum voluit.

Constantia
Electoris,

Cum etiam in ipsis Comitijs Augustanis, confecta à
Pontificijs confutatio, etiam in frequenti senatu Imperij re-
citata esset, & Imperator vrgebat, vt Saxonie Elector
ceteriq; Principes & ciuitates cum suis concionatoribus in
ea acquiescant, obtulerunt Principes confessores Apologiam
Cæsari, ex qua cognosci liquido posset, exhibitam à se ante
Confessionem firmam esse, & quod potius vitam amittere
vellet, quam Deum & Euangelium negare. Cum etiam
eodem tempore Elector feuda prouinciarum suarum tribui,
tum coniugij etiam Ioannis Friderici filij cum Sybilla Ducis
Iuliacensis Ioannis filia confirmationem peteret, vtrunq; ei
denegauit Cæsar, nisi ad Ecclesie Catholice consensum re-
diret. Quod se facturum is summa constantia aperto ore ne-
gauit, nec de zelo illo diuino vlllo terrore deijci aut periculo
depelli potuit, submissee nihilominus quæ petierat, & equas
erant concedi sibi postulans, & in causa fidei omnia se fa-
cturum promittit, quæ sinat conscientia & ad concilium li-
berum prouocat.

Etiam in Comitijs Coloniae per filium Ioan: Fride: Es
lectioni Romanorum Regis Ferdinandi reclamauit, quod
contra

1531.

153

150

152

V

150

153

153

154

contra auream bullam esset, eam ad exterum transferre,
 sed nihilominus Rex Aquisgrani inauguratus est, deniq;
 Cadani in Boemia controuersia sublata est. Et Deus opti-
 mo principi vsq; ad extremum halitum vitæ affuit, defen-
 dit, & conseruauit, Obijt enim Schweinicy Idibus Augu-
 1532. sti, conditus VVitebergæ.

Vxor eius prima fuit Sophia Magni Ducis Meo-
 galopyrgensis filia, e qua genuit Ioan: Fridericum, quæ
 1503. etiam in ipso partu extincta & Torgæ sepulta est. Altera
 Margaretha VVoldemari Anbaldini Principis filia, è qua
 Ioan: Ernestum & Mariam Pomeraniae Duci Philippo
 nuptam, progenuit, quæ etiam obijt Torgæ, & sepulta VVi-
 1521. tebergæ.

VI. IOANNES FRIDERICVS Septemvir,
 Ioannis Electoris filius patris & Patruī nomina retulit na-
 1503. tus Torgæ, dictus Magnanimus à tolerantia rerum aduer-
 sarum: Hic enim Princeps pro salute & dignitate Impe-
 rij in dimicationes asperrimas & difficillimas sese obiecit,
 omnesq; impetus, fraudes, & tela Pontificiorū animo magno
 1533. excepit atq; sustinuit. Primum viuente patre Coloniam
 missus est, vt Electioni Regis Ferdinandi contradiceret,
 quod ab ipso summa dexteritate factū est, sed tamen tandem
 1534. certis quibusdā conditionibus consensit. Anno principatus
 nemurum decimo propter VVurcinam præsulis Misnensis
 1542. oppidum aduersus agnatum Mauricium ducem Saxonie
 arma

Magnani-
 mitas
 Principis.

Bellum in-
 ter agnatos
 Principes.

31.

arma sumpsit, sed tamen incendium quodiam flammam
ceperat Dei providentia & fideli intercessione Philippi
Hassiae Landgravi in ipsis ferijs paschalibus extingui-
tur.

Henricum Ducem Brunsvicensem, qui bellum con-
tra protestantes foederis Schmalcaldici socios suscipere in
animo habebat, Landgravi Hassiae auxilijs, primum è die 1542.
tione eycit, deinde eam repetentem ad deditonem cöpulit. 1545.
Bellum adeo sibi exitiale auxilijs foederatorum Principum
Landgravi Hassiae, Ernesti fratris & Iohannis Frider:
filij & Ducum Saxoniae, Ernesti Luneburg: aliorumq;
principum & comitum, &c. cum Carolo V. Imp, cui tutelae
Ius quam investituram feudi vocant, antea scripto renunci-
arat, gerit, & Ingolstadium versus exercitum, constantem
10000 Equitum, & 80000. peditum ducit, quorum castra
longissimo spacio extenta cum videret Carolus: Suntne illi
omnes Germani? quæsiisse, fertur, Mox, bene est, inquit,
cito eis deerit consilium & pecunia.

Etsi autem in magno periculo versabatur Caroli ex-
ercitus, & undiq; ex protestantium castris globi magno
agmine emissi circumvolitarent, obtineri tamen ab eo non
potuit, ut cum hoste cominus pugnare suos pateretur: par-
tim quod imparem se esse hostium multitudini cernebat, par-
tim ne fasces imperij sui, qui pendere a fortuna illius diei
videbantur, in discrimen adduceret. Itaq; conflictibus maio-
ribus omissis, fossis & vallo sua castra muniuit, donec co-
pia maiores advenirent.

Tandem

910

Tandem appetente hyeme ad sua re infecta protestantes redierunt: Carolus vero discedentes lento gradu insequitur. Mox in agnatum Mauricium qui mandato Caesaris aliquot oppida in tutelam & protectionem susceperat, **1546.** brumæ ipsius tempore, Elector arma conuertit, & Lipsiam grauiter oppugnat, tormentorum vi & multitudine diuerberat. **542.** Albertum Marchionem Brandenburgicum & **545.** Christophorum Leuchtenburgium, Mauricij socios & adiutores, Rochlicy capit, & ditionem suam, nec non agnati, exceptis Lipsia, Dresda, Zwicca, & Pirua in fidem accipit.

Ineunte vere Caesar Egram venit, ubi Mauritius & **1547.** Augustus Saxonie Duces suas copias cum illo coniungunt. Inde digressus Saxonie fines attingit. Elector aduentu Caesaris inopinato & planè insperato oppressus, Albim transgressus pontem sublicium, qui Misna est, incendit, ne Caesar exercitum suum traducere possit, & recta via VVi-tebergam contendit. In itinere ad Mulpergam prope Albim confidet, flumenq; ratibus iungit. Sed appropinquante Caesaris aduentu iniectis flammis eas incendit. Hispanorum in aduersa ripa insequentium vnus & alter, vt flammam restinguant, & rates seruent Albim gladios in ore tenentes, tranant.

Nec multo post invento vado ad Mulpergam, per quod rusticus quidam equos suos duxerat, transeunt.

D

Fugerat

Clades
capti
Principis.

Verba
Electo:
capti.

Fugerat iam Elector cum suis ferme tribus millia-
ribus ad Lochanam syluam, vbi assecuti eum Hispani adoe-
riuntur, dispersum militem partim cedentes, partim capien-
tes. Ipse vero Elector contra insequentes fortiter pugnans
in aduersum os mala sinistra vulneratur, quamuis circumfue-
sus vndiq; hostibus, nulli tamen neq; Hispanorum, neq; Hus-
sarorum sese dedere voluit, nisi Germano nobili e diocesi
Mersburgia ordinis equestris viro Thiloni à Trota, cui in
eius rei testimonium annulos duos de manu detractos tradi-
dit.

Captus non statim ad Caesarem, sed ad Albanum
Ducem prius ducitur, vbi inter eundem voce miserabili,
oculis in caelum sublatis, ex animo Deum compellat, hisce
verbis: Miserere mei Deus, nos sumus iam hic. Ad Cae-
sarem vero adductus, Clementissime Caesar, inquit, statuo
me tibi captiuum, supplex orans, vt Caesarea tua maiestas
mibi custodiam, principe dignam, tribuat: Cui respondet
is.

Iam nunc sum clementissimus tuus Caesar, iam nunc
tractaberis pro tuo merito: Scio quid me deceat, & Al-
bano statim traditur in custodiam. Facta est haec clades anno 1547
die Dominica quae vocatur Misericordias Domini. Prae-
nunciarat hunc tristem euentum Sol, qui diebus septem
ante conflictum totus sanguinolentus fuerat conspectus.

Tomisernus tribunus Electoris audita clade, ex vrbi-
bus montanis Misnuacis, in Saxoniam properat, Bremam
liberat, & Ericum Ducem Brunsvicensem superat prope
Tracheburgum.

Caesar

Cæsar in proposito pergit, & VVitebergam obsidet
 positus in pago Pistricio castris, ubi capitis etiam condemnat
 Electorem captivum. Is vero nihil hac tristi sententia tero-
 ritus, id solum respondit: Non se putare Cæsarem tam du-
 riter secum acturum esse: Veruntamen si aliter fieri non
 possit, petere se, ut ante dies mortis significetur, quo cum
 coniuge & filijs suis, quæ velit, transigere queat. Hic in-
 tercedit pro eo Ioachimus Elector Brandeburgius, ad mode-
 rationem & clementiam Cæsarem exhortans, idq; impe-
 trat, Ut cum à religione abduci captivus Elector non possit
 Electoratu cum filijs suis sese abdicet, Mauritio autem dig-
 nitas Electoralis ac ditio tradaretur.

Captivus Elector post traditam VVitebergam Cæsa-
 ris aulam sequitur, atq; exilium non alio animo tulit ac se-
 cundam fortunam tulerat nulla enim vox humilis ab ipso
 est audita, nulla deiectionis animi facta significatio. Quin-
 imo à Religionis sinceritate nec minis, nec gratia, nec pro-
 missis potuit auocari & pietatis illustris exemplum omni
 posteritati gravissimum reliquit. Dimissus deniq; est post
 quintum exily annum & primo ei Oeniponte in horto ad-
 iuncto arci a Rege Rom: Ferdinando nomine fratris Imp:
 liberatio denunciata est, & Titulum Electoratus in scriptis
 & monetis ad vitam usurpavit.

Æquani-
 mitas in
 aduersis.

547.

1552.

1553.

1554.

Post Mauricium in acie interfectum cum Augusto
 fratre amice transigit, & omnia ad pacem pertinentia pro-
 curat. Obijt placidissime & pie in vera & constanti con-
 fessione filij Dei Vmarie, & sepelitur ibidem cum vxore

D 2.

Sybilla



Coniugum
mors vnus
temporis.

*Sybilla Iuliacense Ioannis ducis optimi filia, cum sibi ad
latus vxoris locum relinqui, paucis ante diebus mandaviso
set. Reliquit tres filios, Ioan: Fridericum, 2. Ioan: V Vil-
helmum, & Ioan Fridericum 3.*

Eius Epitaphium Encomij loco tale est:

*Iohannes Fridericus electus Martyr Ihesu Christi, Dux
afflictorum, Princeps confessorum fidei, Comes veritatis,
signifer sanctæ crucis, exemplum patientiæ & constantiæ,
heres vitæ æternæ obdormiscens in Christo, migravit ex
hac vita in cœlestem patriam.*

D. Eberus imaginem ipsius elegantissimo
poemate decoravit.

*Cernis in aduersa facie nunc vulnus honestum,
Quod Dux Saxonie captus & exul habes,
Hoc pius accepit recti sibi conscius Heros
Pro lege & patria, fortia bella gerens.*

IOHANNES ERNESTVS, Dux
Saxonie, Iohannis Electoris filius é secundo coniugio &
Anhaldina Voldemari filia, natus Coburgi, Ioan: Fride- 1521.
rici Septemviri frater. Princeps pius & liberalis in
quosuis, in consuetudine quotidiana incundus & per vrbano-
sus, etiam studia literarum & doctrinam veræ Religionis
summe amavit & coluit. Aula sedem habuit Coburgi,
& sua sorte contentus fuit.

Obijt

1553. Obit placidè Coburgi, Vinarie sepultus. Nullum
post se reliquit hæredem, Coniugem habuit Philippæ
Brunsvicensis & Grubenhagij filiam.

IOHANNES FRIDERICVS Secundus
Dux Saxonie, Ioan: Friderici Electoris maximus natus
1529. filius, Ioannis Septemviri nepos, Torgæ natus, Princeps
optimus, sed varia fortuna diu domi forisq; iactatus. In
bello Germanico pro patris & patriæ salute suscepto, do-
1547. cumentum virtutis dat singulare, & in conflictu prope Muls-
pergam vulneratur quidem, sed manus hostium evadit.

Etiam cum Iohanne Guilhelmo fratre impetrato salvo
conductu egreditur in castra Imp. Caroli V. ad Pistricum
pagum, acturus de conditionibus pacis captivi patris: Sed
nihil planè quam de abdicando Electoratu, & oppidi VVi-
teberg: deditioe effectum est.

Perniciosum & maxime sibi exitiale malum como-
paravit, cum imperij Rom. proscriptos V Vilhelmum Grum-
bachium, V Vilhelmum a Stein, Iobst a Zetuvitz, & alios
non solum acerrime defenderet, sed etiam in tutelam & Gothana
arcem munitissimam Grimmenstein reciperet: Ideoq; expeditio.

21. 1567. Gotha vrbs Thuringie, & arx contigua a Commissarijs
Imperij: Augusto Electore, & Iohanne Guilhelmo Saxone,
& alijs, 25. Ianuarij die primum obsessa, & per deditio-
nem 13. Aprilis eodem anno dedita, & supplicium sumptum
est de Grumbachio, V Vilhelmo a Stein, D. Pontano,

D 3

Ioan.

Ioanne Beier, Dauide Baumgartnero Augustano, quorum
primus et tertius viui, secundus post decollationem in qua-
tuor partes dissecti sunt, quartus laqueo suspensus, quintus
capite mulctatus: Saxo captus & arx solo aequata est:
Constitit id bellum tonnis auri nouem, florinis 630.
demolitio vero castri florinis 55549. Princeps captiuus,
Neostadij Austriae ad Imperatorem deducitur, ibiq; vsq; ad
finem vitae detentus est: Et quanquam pleriq; Imperij Prin- 1585.
cipes, cum Daniae Rege per legatos Imperatorem pro ipso
intercesserant, vt ex diuturna octodecim annorum custodia
tandem liber dimitteretur, Et verbo tenus assenserit Im-
perator, tamen formam cautionis, a captiuo Principe praes-
tandae, talem praescripsit, vt ille ad finem vitae in custodia
durare, quam tali modo liberari matuerit, in qua etiam pla-
cide obijt: Vimariae tumulatus. 1595.

Prima eius vxor fuit Agnes, Mauricij Electoris vis-
dua Landgrauij Hassiae filia, quae febri consumpta nondum
completo semestri obijt anno 1555. 156

Altera Elisabetha Friderici Electoris Palatini filia,
quae obijt apud & ante maritum Neostadij Austriae. 1595. 156

E qua ante captiuitatem genuit:

IOHANNEM CASIMIRVM Ducem 1564.
Saxoniae natum 12 Iulij Anno

Coburgi sedem aulae habet, eiq; in matrimonium
Anna Augusti Electoris Saxoniae filia tradita est. 1586.

&

IOHANNEM ERNESTUM Dux
cem Saxonie natum 9. Iulij Anno 1566.

Vxor eius Mansfeldie comitissa adhuc in vivis est.

IOHANNES VVILHELMVS Dux
Saxonie, Ioannis Friderici Electoris alter filius, Ioannis
Septemviri nepos: natus hora dimidia post tertiam matuti-
nam 11. Martij, Anno 1530.

Princeps sapiens & magnanimus, in quo indoles inte-
gritatis, grauitatis, maximiq; ingenij & singularium virtu-
tum ab annis teneris enituit: Militauit Francorum Regio-
bus Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. & in ijs
bellis ducis fortissimi laudem sibi comparauit egregiam.

Huius optimi Principis auspicio, & consilio etiam
1568. institutum est colloquium Aldenburgi, inter Theologos
1569. Misnicos & Thuringicos: cum Melanthonis doctrina, in
Colloqui-
1569. suspicionem Theologis, qui Flacij Illyrici ductum sequeban-
um Alden-
1569. tur, venisset, quasi ab Augustana confessione, & Lutheri
burgense.
sententia in quibusdam articulis dissideret, & pontificiae
Ecclesiae consentiret, sed tamen in hoc nihil nisi de iustifi-
catione disputatum est. Obdormiuit Vinarie, in pra-
64. filij Dei inuocatione, & confessione placide 24. Feb. anno 1573.

Vxor eius matrona pientissima, corporis & animi
dotibus illustris, & erga pauperes commendabilis beneficentia
1573. Maria Friderici Electoris Palatini filia mater

Illust.

Illustrissimæ sobolis , cœlestem in patriam spe
firma & fide ducibus migravit , Anno 1592.

Cum Vidua ab excessu mariti per 20. ferme annos per-
mansisset , diligentia in liberis educandis , sedulitate in
curando , prudentia in administrando res domesticas illustre
decus. Reliquit duos filios & unicam filiam nimirum,

FRIDERICVM GVILHELMVM
de quo infra post Septemvirum Christianum. &

IOHANNEM II. Ducem Saxonie , Ioan:
Guilhelmi filium Ioan: Frid: Septemviri nepotē, Vmarie 1570.
natū: ad patris & aui virtutem , nec non ad pietatis et mag-
nanimitatis exemplum aspirantem. In aula Augusti &
Christiani Septemvirum Saxonie adolescens fuit Dresde.
Altenburgi sedem aulae habet , & sibi coniugio copulavit
Ioachimi Ernesti optimi principis Anhaltini relictam filiam 1593.
-e ducissa Wirtembergica Eleonora natam.

IOHANNES FRIDERICVS III.
Dux Saxonie Ioan: Friderici Electoris tertius filius natu
minimus editus in lucem Anno

lene obyt vltima Octobris Anno 1538.

1565.

Studijs literarum & imprimis pietatis apprime
in omni vita deditus fuit.



AL.

592.



L B E R T V S Dux Saxoniae Friderici Electoris II. filius Ernesti Septemviri frater, natus Grimmae.

1443.

Princeps non solum bellica laude & Heroicis virtutibus, verum etiam insigni pietate, iustitia, & opibus illustris: Eius enim temporibus, ut ait Frisingensis,

570.

lux oriri nova coepit, nec tam in finibus Saxoniae, quam in vniuerso Imperio, admiratione virtutis & felicitatis.

In aula Friderici III. Imp: Rom: a vunculi educatus, **E**ducatio.

593.

1462. in castris Caesarianis Viennae contra Mattheiam Regem Vngariae animo excelso militauit, in ijs honestos gerens ordines, ducis fortissimi laudem sibi comparauit. Nec non

Bellum Viennense & Burgundicum.

538.

565.

1475. in bello Burgundico & obsidione vrbis Imp: Nouesij

Belgicum

1478. nifer Imp: fuit. Cum Flandris Maximiliano Imperatori

amitino rebellibus confictatus est ferme octo annis proprijs fere sumptibus, & illorum ferociam, insolentiam & contumaciam ita repressit & comminuit, vt sub imperium Caesaris facile reciderent. Ideoq; ab ipsis Rolandus propter ingenuam staturam: A Pontifice Innocentio **D E X T E R A** **M A N V S** Imperij cognominatus, atq; in ordinem Regalem **A V R E I V E L L E R I S** a Maximiliano adscitus est: in quorum numerum tantum recepti

Cognomina honorifica.

E

sunt

Gubernator Frisiae.

Sunt tales heroes, quorum praeter ceteros nobilitata erat
magnitudo animi, virtus atq; industria. In Frisia Ori^o 1486.
entali primo gubernator Imperij fuit: postea remunerati-
onis loco dono tradita. In quam cum 14000. militibus
strenuus profectus, filium Henricum locum tenentem pa-
tris, quem Frisij in castro Fronicke obsederunt, subsidio 1493.
veniens, de magno vite periculo liberavit, & demum ipse
in expeditione Groninga febre correptus, in caenobio prope
Embdam vitam cum morte commutavit. E quo loco per
Ioannem Pincernam Tautenburgium, ad maiorum sepulchra
Misnam defertur Nonis Septemb: Anno 1500.
Arcem Misnensem magnificam & splendidam extruxit.

Epitaphium eius de virtutibus in pace tale est:

Alberti sita sunt hic clari Principis ossa,
Qui fuit invictus robore, pace, fide.
Aequabat caelum quo sospite Misnia, supremo
Et tetigit superos vertice lata Deos.
Hoc vivente, fuit scelerum repressa facultas
Hoc pro iusticia Principe, pugna stetit
Virtuti nunquam meritos subtraxit honores,
Fulsit in excelso pax probitasq; loco.

Vxor eius fuit Zedena siue Sidonia Georgij Bodieb:
Regis Bohemiae filia, cum qua genuit Georgium & Henricum
cum Ducem, et Fridericum summum Magistrum Prussiae:
nec non Catharinam Sigismundo Austriaco, & Amaleiam
Georgio duci Bavariae nuptam: & obiit Thorandi sepelitur 1510.
tur Misnae ad latus mariti.

G E.

615

GEORGIUS Dux Saxonie Alberti filius Fri-
derici II. Septemviri nepos natus 1471.

486
1528. In Bello Burgundico castra patris secutus est, nec non
in tumultu agrestium Septemviri Ioan: Friderici socius
fuit, & hos prope Francobusium maxima clade stravit.

493
1514. Thamm oppidum Frisiae obsidione graui cinxit, & ex-
pugnatum diripit, occisis 1200. & captis 3000 in quo con-
flictu Henricus senior Brunswigius sclopeto ictus perijt.

500
In ordinem Regalem aurei velleris etiam adscitus fuit.
Princeps eximia animi magnitudine, liberalitate, & re-
ligionis Catholice amore ardens fuit, vt ob sacrorum cul-
tum Monacho quam Principi similior a maleuolis dicere-
tur, alias Barbatus cognominatus.

Princeps
Catholicus
& Religi-
osus.

Post omnium heredum obitum, & ipse confectus
senio, merore, & egritudine ex hac terrena in caelestem
curiam emigravit 15. Calend. Maij Anno

Extirpata
gens Ge-
orgij.
1539.

Mynie tumulatus cum vxore in proprio sacello, quod
marmore candido & ruheo Ratisbonense, Item Ophitino
maculoso Zebliciano ornatum in ingressu est.

Vxorem habuit Barbaram Casimiri Regis Polonie
filiam cum qua genuit,

I.

IOHANNEM Ducem Saxonie natum Dresde 1499.
hora septima, vxorem habuit Elisabetham

10
Wilhelmi Landgraui Hassie filiam, quae post mortem
mariti oppidum dotale Reeblicium obtinuit, &

Mortuus est sine sobole, agens etatis annum 39. anno 1537.

E 2

11.

FRIDERICVM Ducem Saxonie natum anno 1504.
 qui 6. Calend. Februarij cum Elisabetha Mansveldia Comitis 1539.
 Ernesti filia nuptias celebrauerat, moritur 4. Cal. Martij,
 sepelitur Misnæ, vltimus inter Georgij Ducis filios.

Magdalenam Ioachimo II. Electori Brandeburgico:
 & Christinam Landgrauio Hassiæ Philippo nuptam,
 Vxor ipsa obiit ante maritum Dominica Esto mihi,
 & Misnæ in sacello ad latus mariti tumulata, Anno 1534.

HENRICVS Dux Saxonie Alberti filius Friderici II. Electoris nepos Georgij frater & hæres,
 natus 16. Martij Anno 1473.

Vitam mortalem cum sempiterna commutauit, anno 1541.
 die 18. Mensis Augusti Fribergæ tumulatus, ibiq; tale habet
 Epitaphium marmoris incisum in sacello templi cathedralis,
 cui a beata Virgine nomen est, monumentum maxime insigne
 ab Christiano Septemviro nepote erectum, quod encomij loco
 breuissimè & eruditè conscriptum libet hoc in loco inserere:

Henricus Saxo Princeps eximius, qui cum altitudine animi
 coniunxit equalitatem & clementiam, Adolescentiam egressus
 profectioes in Galaciam & Palesti-
 nam religionis ergo suscepit. Inde iussu patris Alberti
 Frisiæ cum imperio præfuit. Domi hoc in loco sedem
 habens, & sua sorte contentus etiam suo iudicio beatè
 vixit.

Extin

1539. Extincto cum liberis fratre ad paternæ hereditatis possessionem pervenit. In solida administratione diuino beneficio populum suum affecit, dum emendationem doctrinæ Ecclesiasticæ instituit. Quod factum cum homines improbi non agnoscant, ingrati parui faciant, temerarij contemnant, eterno tamen angelorum & sanctarum mentium testimonio non carebit.

Vxor eius fuit Catharina Magni Ducis Megalopurgensis filia, heroina corporis & animi dotibus illustris sinceræ religionis studiosa: Vidua ab excessu mariti per 20. fere annos permansit, obiit Torgæ Anno 1561. die 16. Iulij, Fribergæ etiam tumulata. Cum qua genuit Mauricium & Augustum ambo Electores, nec non Sybilam Francisco Lauenburgensi, Sidoniam Erico Brunsvicensi, Æmiliam Georgio Marchioni nuptam.

VII. MAURICIUS Henrici filius Alberti nepos Saxonie Dux & Elector, natus Fribergæ anno 1521. die 21. mensis Martij, in aula Electoris Ioannis Frid: patruj ferè educatus, tandem patri in gubernatione ditionum auitarum successit, omnibus ingenij, naturæ fortunæq; bonis, omnisq; virtutis laude cuius maiorum suorum par, invicti animi magnitudine rerumq; fortiter ac fœliciter gestarum gloria facile omnes ætatis suæ in Germania principes superavit. Corpore pulcher, ingenio celer, manu promptus, consilio expeditus, rebus gerendis solers, iudicio maturus & in quosuis liberalis fuit.

E 3

Studia

Studia literarum & doctrinam veræ religionis summo
me amavit, & tres novas Scholas illustres aperuit, nec non
Academias amplissimis redditibus ac stipendijs locupletavit.
Ditiones suas per virtutem amplificatis præclaris multis
in locis ædificijs extructis ornavit, & firmissimis operibus
muniuit.

Intra 12. annos quibus suis ditionibus præfuit, toti-
dem expeditionibus bellicis interfuit. Bis pro Reipub: 1542.
Christiana in Turcas. Bis pro Carolo V. imper: 1552.
contra regem Gallorum militavit, Anno 1543.

Semel duci Iohan: Friderico Electori agnato & Phi-
lippo Hassiæ Landgrauio socero adversus Henricum 1544.
Brunsvic: ducem subsidio veniens eos victoriæ compotes
fecit. 1542.

Ter cum eodem suo agnato ad arma devenit.

Primo quidem cum ius suum propter Vrzinam op- 1542.
pidum adversus illum tueretur.

Secundo cum iuris sui adversus alios tuendi causa
ditiones illius in fidem suam reciperet. 1547.

Tertio cum ab eodem omnibus ferme ditionibus exu- 1547.
tus, ad vim eius depellendam suaq; recuperanda sese tan-
dem cum Cesare coniungere coactus est. Quo tempore
cum Caesar illius fratrisq; Augusti forti ac fideli opera usus,
exercitu hostili ad Alburn prope Mulbergum profligato,
ipsoq; Duce Iohan: Fride: capto, victoria memorabili
potitus esset, hunc ob virtutem ac fidem Archimarschallatus,

Ele.

1547. Electoratusq; dignitate, cum parte ditionum auxit & or-
navit.

Triennio post ad Magdeburgenses à Cesare hostes
1550. indicatos, bello persequendos, communi consensu Caesaris
& ordinum Dux creatus, cum ipsos obsidione tandem ad
deditonem compulit, tum milites qui ad eos obsidione libe-
randos confluerant in agro Verdensi maxima celeritate
& singulari virtute repressit ac dissipavit. Anno qui in-
1551. secutus est, cum Caesar nullis neq; precibus, neq; conditio-
nibus adduci posset, ut Landgravium Hassiæ dimittere
vellet, ille quo & fidem suam Landgravio datam servaret,
arma quæ antea toties pro Cesare tulerat tandem in ipsum
invitus quidem convertit, & mox faucibus Rheticarum
Alpium, & castellum Erenburg, quo iter ad Oenipontem
est, mira celeritate expugnatis ad Oenipontem properat, Sed
cum Caesar se iam Oeniponte Villacum recepisset, copias
mox inde reduxit, & Passaviam recta ad Ferdinandum
Regem aliosq; Imperij principes qui pacificandi causa ibi
convenerant, se contulit, ibiq; petijt et obtinuit, ut et Land-
gravius liberaretur & exules quidam restituerentur, atq;
exercitum ad reprimendum Turcarum Tyrannum in Huno-
gariam duxit.

Ultima eius expeditio, ut victoria cæteris glorio-
sior ita morte ipsius sola omnium luctuosa fuit, qua Alber-
tum Marchionem Brandeburgensem, qui cum antea con-
iunctissimus fuerat, ob improbatos illius in vastanda patria
conatus

conatus, tandem a se disiunctum & toti iam ferè Germa-
maniae metuendum, ac sibi praesertim minitantem ad vim
eius reprimendam cum socijs ad Sifridshusium pugnans
ingenti praelio vicit, vexillis hostium pedestribus 54. Eque-
sibus 14. in castra relatis. Sed probo dolor dum tanti
praelii victor hostes fugientes incautius insequitur impro-
viso ictu globo parvae machine traiectus accepto vulnere
tertio die post nimirum 11. Iulij placidissimo fine ex hac vita
decessit Reipub: bonisq; omnibus maximo sui desiderio re-
licto, cum vixisset Anno 32. M. 3. dies 21. 1553.

Corpus eius ab exercitu in patriam terram relatum &
paterno sepulchro Eribergæ conditum est cum hac inscrip-
tione Epitaphij: quod compendiosissimè hoc in loco inserere
libuit. Vxor eius fuit Agnes Landgravijs Hassiæ filia,
cum qua Albertum in infantia extinctum, & Annam
Principissam Vraniae genuit.

VIII.

AVGVSTVS Septemvir Heinrici filius Al-
berti Nepos Friderici II. Electoris pronepos Mauricij fra-
ter, natus Eribergæ, die 31. Mensis Iulij Anno 1526.

Bella,

In Aula Regis Ferdinandi adolescens fuit Prage, &
ab teneris annis in eo indoles maximi ingenij & virtutum
emittit. Carolo V. Imperatori contra Regem Franciscum
I. in Gallia militavit, & ad D. Victorinum tyrocinium
egregium virtutis dedit. Nec non fratris Mauricij castra
secutus, fortitudinis eius socius & honorum dignitatumq;
particeps fuit. 1544.

Alta

Attamen patris sui exemplo quoad pacem colere
 licuit, ab armis abstinuit, & ad hanc colendam & augen-
 dam omnia sua consilia & conatus in gubernatione direxit.
 Bellum Gothanum Imperij nomine gessit: & latrocinia, quæ
 1567. multis in locis invaluerant, seuerissimis animadversionibus
 coercuit. Ætate iam corroborata linguam latinam ele- Naturæ
 ganter didicit, & quocunq; eum aut animi, aut ingenij im- bonitas,
 petus tulit, id naturæ bonitate, & assiduitate nimia facilis
 553. limé consequi potuerit.

Rebus gestis amplissimis Dresde subito animi deli-
 quio correptus, ex hac lachrymarum valle, & Septemvira-
 tu Imperiali, ad cœlestem patriam & Synedrium sanctiss:
 Trinitatis, tristissimo totius Germaniæ, & bonorum om-
 nium luctu advocatus terram relinquit, II. Men: Feb: anno 1586.
 Eribergæ magnifice tumulatus, cum tali inscriptione quæ
 summam Elogij comprehendit:

Augustus pius, fortis, pacificus, felix & sapiens Prin-
 ceps: domi vrbes operibus muniit: ditionem magnificis or-
 nauit: Academias censu locupletauit: Sacerdotum pu-
 pillis & viduis, ne egeant, prospexit: patriæ iudicijs &
 526. legibus correctis optimé consuluit: Ut contentiones de do-
 544.ctrina cœlesti ad piam concordiam reducerentur, nulli
 curæ, operæ, & sumptui pepercit.

F In

IX

In Imperio consilio & autoritate maximus: Imperatoribus quatuor ob fidem & virtutem charus: cum Senatus Cons: Imperij iussus esset dare operam, ne quid Respubl: detrimenti caperet, motus factiosos compressit: Germaniam pacavit.

Eius prima vxor ANNA, Christiani III. Danie Regis filia omnibus matronalibus virtutibus præclarissima Herois: lysteria, cibi fastidio, vomitu assiduo aliquot iam menses labefactata, ex hac vita anno coniu. 1585. gy 37 emigravit. Cum qua genuit 9. filios, & 6. filias, 26. de quibus Christianus Dux Saxonie: Elisabetha Iohanni Sept. Casimiro Palatino, Anna Ioan: Casimiro Saxoni, & Dorothea Henrico Iulio Brunsvicensi nupta superstites relictæ sunt.

Altera Agnes Hedvugis Anhaltina, Ioachimi Ernesti filia, adhuc in viuis, & postea Iohanni Holsætiæ duci in matrimonium tradita est.

Huius optimi Principis tale Epitaphium extat.

Iusticia Iosaphat, David pietatis honore

Præ reliquis Salomon pace celebris erat.

Augustus maiora refert ingentibus ausis,

Singula namq; illis sunt dat, cuncta at ei

Ergo tot ornatus fuerit cum dotibus vnus,

Quid vixit viuo hoc maius in vrbe Duce?

CHR.

619

IX. CHRISTIANVS Septemvir Augusti Eleo-
toris filius vnicus & haeres, Henrici nepos, Dresdae na-
tus 29. Octobris Anno 1560.

memorandae virtutis, celebrandae autoritatis, & excelsi ani-
mi princeps: in ipsa vernanti iuuentute & aetatis flore,
anno nimirum 31. principatus sexto, magno omnium ma-
rore pie admodum, amplissimo gloriae immortalis patrimo-
nio sibi comparato, die 25. mensis Sept, extinctus, et F R I- 1591.
B E R G A E in Sacello templi Mariani, ab auo Henrico
primo extructo, sed ab ipso ad eam maiestatem, qua hodie
cernitur perducto, vbi etiam fundatoris et patris aliorumq;
vtriusq; sexus sepulchra magnificentissimè exornata vi-
suntur: inter eas & Mausoleum Mauricij Saxonis ab
Augusto fratre erectum, quod sumptu & curiosissimi ope-
ris arte, cum quouis sepulchro certare possit, tumulatus,
cum tali incisa marmoris inscriptione:

Christianus magni animi & maximi ingenij Prin-
ceps, nihil humile, nihil abiectum cogitans, castus, inge-
nuus, verecundus in vita & moribus, splendide elegantiae
& artificiosi ordinis studiosus: Veritatis amans, superbiae
osor, & mendaciorum hostis acerrimus: patiens laboris,
industrius, ad omnia impiger. Alter quasi Cato & rigi-
di seruator honesti in dictione Iuris, quam omnium ordinum
hominibus aequabilem esse voluit. Hunc in ipso aetatis
flore ex oculis hominum, non ex memoria mors eripuit: heu
immatura, quae tantam spem S. R. I. invidit & interce-
pit aeterna cum Deo felicitate frui capit.

F 2 Etiam

35.
pt.



Etiam huius imago ad viuum depicta & magnifi-
centissime extructa conspicitur in templo S. Crucis Dresdæ
cum tali Elogio.

*Sic erat Ensiferi de Christi nomine dicti
Effigies, oculi, crura, statura, gena,
Hunc germana fides, pectus sublime, beatum
Prole & se digna coniuge coniugio,
Vita brevis, sat longa tamen, dum vita salutem
Consuluit patriæ dum pia mors anima,
Qui placidè moritur, satis hic bene vixit, & illic
Hæc quæ non oculus gaudia vidit, habet.*

*Vxor eius Sophia Illustrissimi Principis Iohannis
Georgij Marchionis Brandenburgici &c. Septemviri, ma-
tris Europæ iam iam labantis columnen, columna, & decus,
filia, mater inchtæ sobolis trium masculi sexus, &
totidem fæminæ: nimirum*

D. CHRISTIANI II.

D. IOHANNIS GEORGII &

D. AVGVSTI Iuniorum Ducum Sax-

oniæ, ad Christiani patris & aui Augusti virtutem indole
pietatis & magnanimitatis aspirantium: & Annæ
Sabinae, quæ in ipsis vitæ suæ primordijs 24. Martij Anno 1586.
occumbit. Sophiae & Dorotheæ mater, adhuc Dei bene-
ficio in viuis est.

Quibus tutelari potestate Illustrissimus Saxonie Dux, etc.

FR 16

1588

020

FRIDERICVS VVILHELMVS Admini-
Iohannis Vvilbelmi Principis optimi filius, & Iohannis stratores
Friderici magnanimi Septemviri nepos, cui materni Pa- Electora-
latini, & patris nomen referens, eximia eruditionis, pro- tus Saxon:
bitatis & virtutis Princeps; eiusq; in tutorio Septemvi-
ratus Saxonici munere collega IOHANNES GE-
ORGIVS Elector Brandenburgicus iam septuagenarius
magna cum laude Iustitiæ, & æquitate præsumt, & quo-
rum consilio, prudentia & cura tota regio gubernatur.

Huius Principis prima vxor Sophia, Christophori du-
cis Vvirtembergici filia, septimi partus dolore debilitata,
ætatis suæ 27. ex hoc lachrymabili hospitio, integris ad
extremum vsq; vitæ halitum animi sensibus, rebusq; om-
nibus, quæ ad morituros pertinent, sancte ac pie composi-
tis caeleste diuersorium intrauit, & obiit Vachij Hessorum: 1590.
Eluxit in hac pietas magna, prudentia sexu maior, vitæq; 21. Iul.
integritas maxima, vt non immerito patriæ corona dicta
fuerit, atq; ob virtutem non tantum illustri coniuge, sed
etiam vita perpetua digna iudicata sit. Nam sacrarum
literarum meditatione a teneris vnguiculis delectata, illam
vanis mundi huius delicijs omnibus, adulta etiam ætate,
prætulit. Adeo a teneris assuescere multum est. Huius
principissæ obitum singulare & dignum notatu prodigium
præcessit: Nam cornu ceruinum, quod triplicatum insig-
nia sua representabat, post annos 20 plus minus a ceruo
abiectum, & parieti more solito affixum, bidui spacio san-
1588. gumem copiosissime destillauit.

F 3

Cum

Cum qua genuit Fridericum die 19. mensis Decemb:
& Iohan V Vilhelmum die 23. eiusdem mensis anno 1687.
quinque dierum intervallo uterque ex his terris, præmissa ante
paucos menses sorore Dorothea Maria protogena, nimi-
rum 9. Septembris, abreptos.

Secunda Anna Maria Georgij Iohannis Palatini fia-
lia, omnibus ornamentis & dotibus, quæ in feminam ca-
dere possunt eximie prædita.

DEVS optimus Maximus Administratorem E-
lectoratus hunc pacificum, cum illustrissimo collega, con-
iugibus, liberis illustribus, & orphanis, nec non matre
generosissima, cum tota familiarum prosopia clementer
tueatur, & in multos annos felices atque viuen-
tes seruet.

Christo Duce, comite labore.





QK 9/c 725

ML




ULB Halle

3

003 932 435







XIII, 4. QN. XIII, 4.

I, 151.

598
Vc
725

ELECTORVM
IMPERII, ET DVCVM
SAXONIAE, LANDGRAVIORVM
Thuringia & Marchionum
Misnia, &c.

E familia generosissima **VV**itkindæa,
Breuis & succincta Enarratio ;

Complectens eorum seriem continuam, & rerum
memorabilium venustam expositionem, edita

Studio & opera

LAVRENTII PECKENSTENII.

Anno à nato Christo.

M. D. XCV.



DRESDÆ.

Typis Gimelis Bergen.

